

1570

tu in arctum coacto, in ea planitie, rotunda figura, undecim propugnaculis præinctam, quorum unumquodque pedites mille exciperet, munitionem extruxit. A Senatu bellica tormenta cum ad urbem firmandam, tum ad impugnandos hostes, varii generis in Cyprum missa; pilarum, tormentarii pulveris ingens vis, quibus urbs, vigintiquinque passuum millibus a mari distans, maritimisque subsidiis suscipiendis minus opportuna, diutius fervaretur.

Interea, Suleimano in Pannonia, dum Zighetum oppidum acerrime oppugnaret, ex humanis sublato, Selymus (uti antea dictum est) in imperium successit: statimque Marinus Caballius Byzantium pro gratulationis munere, paceque denuo facienda legatus mittitur: ac licet Judæi nonnulli, qui mercimonia sua Venetiis intercepta esse conquerebantur, Veziri animum a Venetis alienare conarentur, Jacobi tamen Superantii, ordinarii legati, ac Caballii virtute, pacis conditiones, quæ inter Suleimanum olim, ac Rempublicam constitutæ fuerant, jurejurando interposito, confirmatæ sunt. Inde magna spes continuandæ cum Selymo pacis orta, quem cunctas de Cypro invadenda curas, ac cogitationes ex animo depulisse Senatus censebat. Quis non crederet, potentissimum Regem, qui regnorum fines Asia, Africa, atque Europa longe, lateque diffunderet, a fracto foedere, jurisque jurandi violatione imperii sui initia auspicari velle? Sed jam a Marco Antonio Barbaro, qui Superantio in Byzantina legatione successerat, literæ afferebantur, ingentes maritimos ea in urbe apparatus fieri; haud obscure expeditionem adversus Cyprum parari; ad ea vero tegenda consilia, vulgatum, majoribus navigiis, quæ in diversas regiones mitterentur, Regi opus esse; Barbaram insuper, ac Bonaldam Venetas nuncupatas, Byzantii; Barbaram item alteram, Alexandriae interceptas, quibus et si stipendia exhiberi solita polliciti Turcæ fuerant, eodem tamen tempore Venetos mercatores aliquot, eorumque bona detenta esse.

*Marcii Antonii Barbari literæ de Turcicis apparatus.*

His nuntiis ancipiti cura Patres angebantur: licet enim Selymum, qui modo pacem sanciverat, vix adduci posse arbitrarentur, ut nulla causa permotus, turpiter fidem frangeret, atque adversus jura gentium jurisjurandi religionem corrumperet;